



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

PSALMUS LXXIII.

Titulus : *Intellectus Asaph.*

Argumentum : *prædicatur, & deploratur desolatio Ierosolymæ, & illa probabilius, quæ facta est per Antiochum Epiphanem, sive Illustrum, de quo agitur in Libris Machabaorum.*

Argumenti ratio etiam elucet ex titulo : ideo dicitur Intellectus, seu, ut alii vertunt, Eru- ditio Asaph, ut admoneantur Iudæi diligen- ter cogitare, & intelligere, quæ in hoc Psalmo de ipsis dicuntur.

ψ. 1. *Ut quid Deus repulisti in finem? ira- tus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.*

Deplorat in personâ populi Judaici univer- salem illam calamitatem, quâ Judæos omnes miserrimè oppressere Gentiles sub dicto Rege Antiocho ; Quare tu, Deus, ita te geris, ut videaris populum tuum generaliter, & in æter- num repulisse ? accensus est furor tuus contra populum tuum, quem singulari providentiâ regere solebas, ut Pastor proprias oves pas- cit, & regit.

ψ. 2. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

Orat Deum, ne repellat in finem. Adducit pro argumento, quòd olim, h. e. in egressu
de

de Ægypto , ipse idem Deus Judæos congregaverit in formam populi , dans eis Magistratus , & leges , & judicia : quasi dicat , non videri bonum , ut hunc populum Deus disperdat. *Memor esto populi à te congregati : quem possedisti &c.* qui nullum habuit Regem , & Dominum ante te ; sed tu primus ab initio congregationis tuæ in unam quasi Rempubl. , eum possedisti , ut Rex , & Dominus ejus.

ψ. 3. *Redemisti virgam hereditatis tue , mons Sion , in quo habitasti in eo.*

Secundum argumentum : non est æquum , ut Deus repellat populum , quem non solum congregavit , possedit , sed etiam in Regnum exaltavit , ejiciendo Chananæos ex terrâ promissionis , & dando eam populo suo. Acquisivisti bellando *virgam* , sceptrum Regni terræ promissionis , *hereditatis tue* , h. e. pro populo peculiari , quem ut propriam hæreditatem tibi vendicabas. *Mons Sion* est Regnum , in quo habitasti , ut Rex in Regiâ civitate suâ.

ψ. 4. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto !*

Ob dictas jam causas orat , ut Deus convertat manum suam in hostes populi sui , & confundat superbiam eorum , in perpetuum , ut non audeant ultra erigere se contra servos

Dei. Ratio, cur superbia eorum debeat confundi : quia multa mala fecerunt in sanctuario Dei, illud spoliando, & profanando. *Vide 1. Mach. 1.*

ψ. 5. *Et gloriati sunt, qui oderunt te, in medio solemnitatis tuae.*

Antiochus, & milites ejus oderunt sacra tua, & ceremonias legis tuæ : & ingressi templum, & sanctuarium tuum, dum sacra solemnia peragerentur, ibi gloriati sunt, & fremuerunt (ut vertit S. Hieron.) quasi victores captâ prædâ.

ψ. 6. *Posuerunt signa sua, signa ; & (non cognoverunt) sicut in exitu super summum.*

Posuerunt vexilla sua, quasi trophæa manifesta, in supremâ parte portarum, vel turrium civitatis, unde intratur in urbem. Parenthesis indicat, hostes Dei non cognovisse, quid facerent, cum civitatem, & templum Dei omnipotentis ita profanarent.

ψ. 7. *Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi, & ascia dejecerunt eam.*

Pergit explicare mala, quæ fecerunt hostes in Jerusalem. Everterunt portas ejus, quasi in silva lignorum versarentur : securibus exciderunt januas urbis Jerusalem in id ipsum, h. e. omnes simul, uno animo, & conatu : in securi, & ascia dejecerunt urbem Jerusalem.

ψ. 8.

ψ. 8. *Incenderunt igni sanctuarium tuum,
in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.*

Injecerunt ignem in sanctuarium , & portis
ejus exustis , polluerunt idem sanctuarium ,
quod est habitaculum nomini tuo dicatum: pol-
luerunt autem sanctuarium, quod habes in terrâ,
quia Cæleste tabernaculum polluere non potu-
erunt. Porrò polluerunt templum, ponendo in
eo idolum abominationis, & idolis sacrifican-
do. Vide 1. Mach. 1. & 4.

ψ. 9. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum
simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei
à terra.*

Hæc propriè convenire videntur Paganis, qui
tempore Antiochi conati sunt omnino delere
religionem veri Dei, *Vide 1. Mach. 1. Dixe-
runt*, decreverunt apud se tota natio Gentili-
um, qui Antiocho serviebant, dicentes: con-
taminemus sanctuarium; repleamus omnia Ido-
lis, tollamus omnia signa religionis; & sic
cessabunt omnes solemnitates Dei in terrâ Is-
rael.

ψ. 10. *Signa nostra non vidimus, jam non
est Propheta, & nos non cognoscet amplius.*

Ponit nunc verba populi fidelis, in tantâ affli-
ctione penè desperantis de auxilio Dei. Et pro-
priè conveniunt hæc in tempora Antiochi,
quando & miracula antiqua, & Prophetarum
oracula

oracula defecerant, ut videretur Deus non amplius cognoscere populum suum.

ψ. 11. *Usquequò Deus improperabit inimicus ? irritat adversarius nomen tuum in finem.*

Pergit populus Dei exorare Dei clementiam, ut memor populi sui convertat iram in hostes, qui improperabant Deo infirmitatem, quasi non valeret salvare populum suum.

ψ. 12. *Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem ?*

Oraverat populus Deum, ut irasceretur in hostes suos : nunc orat, ut complectatur populum suum, ut antea faciebat, & non excludat à sinu paterno filios suos. *Ut quid avertis sinistram, & dexteram tuam &c. ut sinas nos cadere à sinu tuo in perpetuum ?*

ψ. 13. *Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terra.*

Explicat hinc, & 5. seqq. ψ. ψ. potentiam Dei, quam olim ostendit tum in liberatione filiorum Israel de Ægypto, tum in creatione mundi : ut ostendat, posse Deum, si velit, liberare eosdem filios Israel à præsentis calamitate. *Deus Rex noster, qui est ante secula Deus, operatus est salutem Judæorum in terrâ promissionis, in quam eos introduxit ex captivitate Pharaonicâ.*

†. 14. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita Draconum in aquis.*

Explicat, quomodo Deus operatus sit salutem Judæorum. Tu, Deus, potentiâ tuâ fecisti, ut mare rubrum firmissimè, quasi murus contisteret, dum transirent per medium ejus divinâ virtute siccatum filii Israel: & eâdem potentiâ obruisti in aquis ejusdem maris, ad locum suum revocatis, *capita Ægyptiorum*, qui instar *Draconum* filios Israel insequabantur.

†. 15. *Tu confregisti capita Draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.*

Explicat pœnam de *Dracone*, h. e. Pharaone sumptam. Illud *Dedisti &c.* significat, Regnum Ægypti, post submersionem Pharaonis, datum fuisse in prædam Æthiopibus: vel Pharaonem, & *capita*, seu Principes ejus mortuos, & ad littus ejectos, esse spoliatos ab Arabibus, quos S. Scriptura Æthiopes vocat.

†. 16. *Tu dirupisti fontes, & torrentes, tu siccasti fluvios Ethan.*

Tu Deus paulò post in deserto, diruptâ petrâ, fecisti scaturire fontes, & torrentes. Tu siccasti flumen Jordanis, quod flumen maximum est: *Ethan* enim *fortem* significat.

†. 17. *Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & Solem.*

Transit

Transit ad potentiam Dei in creatione, & de duabus principalibus partibus, Cælo, & terrâ, tantùm loquitur. *Tuus est dies, & tua est nox*; & reddens rationem addit: tu fecisti initio lucem, similem auroræ; deinde quarto die fecisti Solem, ut distingueret dies, & noctes.

18. *Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem, & ver tu plasmasti ea.*

Attingit creationem Cæli mentione factâ lucis, & Solis; jam attingit creationem terræ. Tu fecisti totam terram usque ad omnes ejus ultimos fines, h. e. ab ortu ad occasum, ab Aquilone ad Austrum. Tu fecisti vicissitudines temporum, in quibus terra nunc fructus concipit, nunc parit. Nam in fine æstatis, h. e. in Septembri, in terrâ promissionis reconduuntur omnes fructus; & tunc incipit terra iterum concipere, & præparare se ad novum partum; & initio veris iterum incipit parere flores, ac deinde fructus.

ψ. 19. *Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: & populus insipiens incitavit nomen tuum.*

Explicatâ potentiâ Dei, redit ad orationem, & precatur: recordare Domine hujus rei, quam dicturus sum: hostis noster improperavit tibi Domino impotentiam, seu blasphemavit te,
quasi

quasi impotentem, & infirmum : *Et populus ejus insipiens incitavit blasphemando nomen tuum.*

✠ 20. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*

Ne tradas hominibus insipientibus, & crudelibus more ferarum, homines, qui te colunt, & confitentur laudes tuas : & ne obliviscaris defendere, & liberare animas pauperum tuorum, qui ad januam misericordiae tuae panem mendicant.

✠ 21. *Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terra domibus iniquitatum.*

Adducit duo alia argumenta ad placandum Deum, unum ex parte foederis initi cum Patribus, alterum ex iniquitate hostium. *Respice &c.* Si non vis nos respicere, saltem respice patrum, seu testamentum, quod fecisti cum Patribus nostris, ut esses nobis in Deum, protegendo, & defendendo in terrâ, quam nobis dedisti. Quoniam, qui obscuri sunt in terrâ, viles, & barbari homines, abundant jam domibus, sive palatiis, nobis iniquè ereptis.

✠ 22. *Ne avertatur humilis factus confusus ; pauper, Et inops laudabunt nomen tuum.*

Pergit in oratione : *Ne avertatur, quasi à*
te

te repulsus, & rejectus is, qui se humiliat coram te. Tum addit rationem : quoniam humilis, qualis est *pauper*, & *inops*, laudabuunt nomen tuum, quod à divitibus, & superbis despicitur.

ψ. 23. *Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum que ab insipiente sunt tota die.*

Addit aliam rationem, quoniam causa populi est causa Dei ; & impropria, quæ dicuntur ab inimicis, in ipsum Deum recidunt. *Exurge* defende causam tuam : *memor esto improperiorum*, quæ jugiter in te jactantur ab insipientibus populis, inimicis tuis.

ψ. 24. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum : superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Concludit, rogans Deum, ne obliviscatur punire hostes suos, quia illi non obliviscuntur peccare. *Ne obliviscaris* &c. ne impunitas dimittas blasphemias inimicorum tuorum : quia superbæ voces eorum nunquam cessant, sed jugiter ascendunt à linguis eorum, tanquam scintillæ à fornace maligni cordis eorum.

PSALMUS LXXIV.

Titulus : *In finem, ne corrumpas, Psalmus cantici Asaph. Omnes partes hujus tituli sunt*